

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

DISPUTATIO PNEVMATICA 27

PRIMA

IDE

INTELLIGENTI-  
ARUM OPERATIONIBUS

*Quam*  
PRÆSES

M. CASPAR Schott / Eper.

Hung. Facult. Phil. Adjunct.

RESPONDENTE

M. THOMA IRÖTING, PIRN.

Misn. Seren. Elect. Saxon. Al.

*In Academia Wittebergensi*

*A. O. R. 1666.*

*publicè ventilandam*

*submittit*

*D. 8. Septemb. Hor. Matut.*

*In Auroat. Majori.*

---

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNES BORCKARDI.





## I. N. J.

**S**ubstantiæ illæ immateriales ac separatae à materia quæ *Aristo-*  
*teli lib. 12. met. cap. 8. seq.* Intelligentiarum nomine veniunt, ab in-  
tellectu quo post Deum maximè pollent, Spiritus sunt & qui-  
dem creati completi. *Spiritus* ideo, quod neq; ad classem  
hominis aut alterius cuiusdam animalis revocari possunt, sed trans-  
cendit cuncta materialia, essentia illa intelligens, spiritualis, neq;  
oculis corporeis videri, aut verò manibus palpari nobilissimam  
hanc Dei creaturam ulli in hac mortalitate concessum esse, Salvator  
noster testis est; Creati etiam Spiritus sunt, ceperunt enim  
aliquando, & cum creatione rerum, suam sumpserunt originem, ut  
de termino à quo generali, apud auctores hæctenus nullum sit dubi-  
um, licet de die speciali non raro litigia moveant eruditi: deniq;  
& completi dicuntur, quod in se extra omnem corpoream substan-  
tiam existentes perfectam absolvant speciem, secus atq; anima ra-  
tionalis inseparatione facere solet, quæ ad aliud perpetuò ordinata,  
hoc est, corpus materiale & organicum respicit. Quemadmodum  
verò Spiritus, sive finitus, sive infinitus, s. creatus, s. increatus,  
s. completus, aut incompletus, in natura sua propria, abstracta à  
communi, spectatus, tribus absolvitur (1) In ratione scilicet quiddi-  
tatis & constituentiæ, quoad essentiam, in definitione aut  
vero qualicunque tantum descriptione (2) ratione proprietatis &  
concomitantæ, in attributus consideratus, quæ immediate ex es-  
sentia Spiritus fluunt, v. g. Immaterialitas, simplicitas, & deni-  
que (3) ratione efficientiæ seu effectus, in operationibus adumbrat  
quæ inde promanant, ut effectus, essentiæ spiritualis conveniens: ita  
hæc tria hic quoque invenire licet, quando intelligentiarum  
naturam scrutari exactius meditamur. Nos missis cæteris in  
præsentibus operationes Angelicas, easq; internas, quam externas di-  
sputationibus aliquot percurrere intendimus: Tu vero  
Sancta Trias nostris ad sis conatibus opto!

## SECTIO DOGMATICA

I. In hac disputatione prima tum generalia nobis pertractanda occurrunt, cum etiam specialia non intermittenda veniunt. Generalia erunt si operationes Intelligentiarum in genere perpendimus, an sint, quid sint: speciale nobis sit operationes Angelicas internas, utpote, intellectionem volitionem &c. enucleare.

II. De quaestione *An sit* prolixius disputare opus haud existimo, neminem enim facile inficias iturum credo, substantiis his Immaterialibus & spiritualibus competere aliquas operationes, nisi qui ipsasmet intelligentias, earumque existentiam impudenter pernegare attentaverit, idque part. directe, quales olim fuerunt Sadducæi, item Hermannus Rischwitz Batavus, quem ex Luzemburgensi hæreticorum Catalogo in exercitatione quadam singulari Scholastica, Henricus Nicolai circa annum 1502. producit, quod bonos & malos angelos in dubium vocaverit. Non alieni quoque ab errore hoc fuerunt Philosophi quidam veteres, quando dubitatum fuit an essent demones, pravique Angeli, quos ex peripateticis nonnulli negarunt, à quo errore alienum quoque non fuisse Aristotelem Averrhoes in Epistola de resurrectione existimat: *Etenim (ait ille) ut ex operibus Aristotelis colligere licet, nullas alias substantias credidit nec à materia separatas, quam eas, quæ orbem movent, quas tamen neque Aristoteles, neque alius quisquam malas esse, aliquando arbitratus est.* *Conf. Molina in Theol. Schol. q. 49. de causa mali disp. unic. arc. 1.* Similem errorem ex Pontificiis nostro Luthero false & per calumniam obtrudere satagebat *Ederus in Babyl*, quod Lutherani nil præterquam quod scriptura exprimat credant. Ergo consequenter intelligentias dari inficiasibunt, quoniam scriptura de creatione illorum nullam facit mentionem, neque mirum erit, si operationes Angelicas in dubium vocaverint, & sine dubio etiam vocerunt, sublata enim substantia, tolluntur accidentia, sublata Causa tolluntur effectus, operationes & actiones Causæ, Accidentia n. non sunt extra causam, non extra subjectum, & substantiam, sed sunt in subjecto & in causa, Accidentis enim esse, est inesse vulgatus Metaphysicorum canon sonat, h. e. prout inhærere subjecto, Aristoteles explicavit, quod cum insit, non sit pars rei, & omnino esse non possit nisi in  
illa

illa re; tollatur verò res ipsa, illud etiam aufertur quod in re illa est,  
& quod proficiscitur ab illa, Ergo etiam sublatis Angelis tollitur  
Angelica intellectio, volitio, loquutio, corporum assumptio, & qui  
plures effectus, & operationes à spiritibus his proficisci possunt.

III. Verum similes actiones internas ac externas præter ra-  
tiones, experientiã & exempla varia, Angelorum nomina indicant:  
vocantur enim intelligentiæ, ab actu intelligendi, quem sagacissimo  
intellectu suo nim. ad extra exerere possunt, item Angeli qui ter-  
minus nuncium denotat, & nomen officii atq; legati est, qui mittitur  
ad aliquid perficiendum, sic Gen. 32. nuncii quos Jacob misit ad E-  
sau, ἀγγελοι vocantur. Non alio insigniuntur nomine explora-  
tores. Hic etiam in N. T. Joh. Baptista angelus vocatur à mune-  
re quo fungi debebat, viam scil. præparando Dño. Messia, & quæ hic  
mille plura Angelorum dari possent nomina, quæ omnia satis do-  
cent, spiritus hos non esse ociosos, sed in operationibus internis &  
externis perpetuo comprehensos esse, nil dicam de spectris & dæ-  
monibus, qui olim tales dicebantur, quasi δαίμονες prudentes, quod  
in oraculis gentilium futura prædicere censebantur, quæ prædictio  
sine dubio fuit actio, quibus addantur argumenta Artificialia, ab ef-  
fectibus & operationibus ipsis, mirandorum præstigiorum & spe-  
ctorum profecta; Sic Plutarchus refert de spectro, quod Dioni &  
Bruto finem vitæ significaverit, cui & eventus postmodum respon-  
dit, Item Brenno, templum delphicum oppugnanti ex Justino ex-  
emplum adducit Scharfius, apparuerunt in specie juvenum & virgi-  
nū armatarū spectra, quæ insecutus fuit postmodū terræ motus. Has  
omnes actiones & operationes intelligentiarum fuisse, quis dubita-  
ret, Adduci præterea possunt effectus, veneficiorum, lamiarum ap-  
paritionum dæmonum, pactorū cum illis, magicæ artis arreptitio-  
rum qui adeo mirabilia loquebantur, ut ea nemo discere potuerit  
missis aliis effectibus plerisq; tam mirabilibus, ut non nisi à spiritibus  
quibusdam proficisci possint, quibus dicere necessum habeat. Ac-  
cedant oracula & alia quæ olim inter gentes in dæmonum templis  
observata sunt, & in hodiernum usq; diem in novo orbe in India  
orientali, atq; in variis Æthiopiæ partibus, aliisq; locis perseve-  
rant, qui omnes effectus sane non ab hominibus a. alio quocunq;  
animali, sed potius à spiritu maligno proficiscuntur.

IV. *Ostensa sic Existentia operationum Angelicarum, necesse est, ut aliqua descriptione eas deliniamus, modo sequenti: Operationes Angelicae sunt actus, mediantibus certis potentijs & qualitatibus ab esse Angelico diversis, effectuat.* Dicimus operationes intelligentiarum actus esse non n. in nuda potentia & actu, ut vocare alias solemus primo, operationes hæc persistunt, verum exerunt sese ad extra, & producuntur ab intelligentiis, ut effectus à se, suaq; essentia diversi, mediantibus sc. his potentijs, Qualitatibus, quia non immediate agunt per essentiam Angeli, sed mediantibus accidentibus, essentiaè convenienter superaditis, & realiter ab ea diversis, operationes tales perficere solent, similia enim accidentia non substantiaè saltem corporeæ & materiali, quantitate mole constante competunt, ut in Entibus omnibus quantitativis fieri solet, verum etiam spiritus creatus & finitus his opus habet, ut eo rectius actiones suas expedire, & perficere possit, sic v. g. per libertatem intelligentiaè expetunt quod volunt, per potentias motivas accedunt, recedunt, discedunt, variaq; pro ratione potentiarum & accidentium quibus pollent, effecta producant: non enim omne quod est in Angelis essentia Angelorum est, quippe mutabilia multa in intelligentiis erant, imo defacto mutata sunt, & mutantur multa, essentia immutabiliter manente, atq; in se invariabiliter existente. Et quis negabit perfectiones Angelorum per se intendi & remitti, v. g. scientiam Angelicam magis & minus recipere, quod proprium qualitatum, adeoq; accidentis est, neq; tamen inde mox sequitur Angelos esse corporeos, ut quidam ex patribus antiquis hanc ruminare conati sunt sententiam, ex schola nimirum platonis prodeuntes, cuius eorum multi studiosissimi erant, aut vero etiam quandoq; ex versionibus vitiosis scripturaè connatam, Ita Tertullianus scriptor antiquissimus in libro de carne Christi, concedit tres illos Angelos qui Abrahæ apparuerunt carnem assumisse humanam, sibi substantialiter & hypostatice unitam. Sic *Lactant. Lib. 2. de divin. institut. cap. 15.* Angelos habere corpora ait, alterius tamen rationes ab iis, quæ subsensum cadunt, quæ tamen omnia ut falsa rejicimus, & specialem eorundem refutationem ad peculiarem locum in disputatione tertia reservamus.

V. Sunt autem porro operationes intelligentiarum I. interna I. externa: illæ, in natura intelligentiarum manent, inq; ea, tanquam in subjecto proprio recipiuntur, reconduntur, & reservantur, & sunt

tres



tres nomine, scilicet intellectio, volitio, & motio, vel variatio ubi  
hinc alias quoque; à Beato Scharfio immanentes vocantur actus: hæc  
scilicet externæ sunt, quæ ab intelligentia agente & operante in aliud sub-  
jectum à se numero quandoque; & specie diversum, transit, in eoque; o-  
perationes suas perficit, & exercet, inde etiam actiones transeuntes  
nuncupari solent, & sunt, productio rerum variarum, assumptio cor-  
porum eorumque; motio, externaque; loquutio, & hæc hæctenus in ge-  
nere perpendenda erant. Nunc rectè progressum facturi sumus ad o-  
perationes intelligentiarum in specie, & quidem primum ad intel-  
lectionem.

VI. *Intellectio est actus intelligentiæ elicitus, quo mediante naturam &*  
*essentiam rerum penitus cognoscunt, falsumque, à vero discernunt.* Intel-  
lectionem (1) *Actum* dico, ut indigitem tamen intelligere Angelum, nequa-  
quam ipsius esse substantiam, secus atque; non nemo Commentatorum  
in Aristotelem asserere non dubitavit, quod intelligere Angelorum  
non sit quippiam definitum ab eorum substantia & essentia, uti idem  
in Deo quoque; diversum non est, quem observavit scriptor Scholasticus.  
*Molina in Thom. fol. 567* sed Potius contrarium ceu veritati magis  
consonum statuimus. Quemadmodum enim in rebus creatis exteris  
intelligere est vera actio immanens, per quam vitaliter exprimitur i-  
mago rei cognoscendæ, scilicet verbum: ita etiam in Angelo intelligere  
distincta erit actio, ab ipsa natura & essentia Angelica, per modum  
scilicet accidentis, à suo subjecto, in quo recipitur: imò v. sicut  
verbum est quippiam distinctum realiter ab intellectu Angelico &  
substantia & specie objecti, à quibus omnibus efficienter produci-  
tur: ita intelligere Angelum erit, quippiam realiter distinctum à sub-  
stantia & intellectu Angelico, cum verbo enim tanquam actio cum  
suo termino secundum rem idem est, ut ut sit formaliter distinctum  
(2) intellectio hanc actum voco, ideo, ut distinguatur ab esse &  
essentia Angelum, intelligere enim intelligentiæ non est esse illius, quia  
esse & essentia unius rationis in uno quoque; Angelo est, intelligere v.  
dividitur in scire exacte, & opinari solùm. Deinde actus dicitur *Elicitus*  
quod ab intellectu agente sit genitus, & mediantibus speciebus in-  
telligibilibus menti Angelicæ representatus, ut inde meliorem cog-  
nitionem de re hæc illa, vel ratione falsitatis, etiam veritatis, habere  
possit.

VII. Notanda tamen imprimis duo sunt circa hanc intellectionem Angelicam, quæ intermitteri nullo modo possunt si alias doctrinam plenius planiusq; exprimere volumus. Principia sc. intelligendi, & ipsa diversitas; Ex illis tria sunt, quæ observationem merentur, nimirum virtus intellectiva, intellectus, species intelligibilis & habitus. *Virtus intellectiva seu intellectus Intelligentiarum, est attributum spiritus creati, completis, internum, quâ Angeli se ipsos, ipsamq; naturam rerum intime intuentur, & ea quæ sunt aut sunt exactissime cognoscunt.* Attributum dicimus internum quo Angeli seipsos (1) intuentur, certum enim est, Angelum cognoscere seipsum, quia substantia illius immaterialis est, actu intelligibilis, & maxime proportionata intellectui proprio (2) Cognoscit etiam Angelus naturam rerum, & omnia ea, quæ sunt exacte, adeoq; hæctenus de cognitione Angelica sui & rerum aliarum nullum est dubium; tantum de modo atque medio difficultas erit. Quidam enim reperti sunt olim, qui dicere non erubuerunt, Angelos omnia per suam substantiam cognoscere, quemadmodum Deus, cuncta quæ cognoscit, per suam essentiam concurrentem instar speciei intelligibilis cognoscit. Nos ut evitemus in hac controversia scopulos, Angeli cognitionem consideramus I. in respectu ad se, vel ad res alias atq; diversas: Seipsam utiq; intelligentia cognoscit intuitive per suam substantiam: Quando enim obiectum est intelligibile actu, & per se intime præsens intellectui, tum intellectus non indiget specie quæ suppleat vicem obiecti, ut patet ex visione beatifica, de qua agant Theologi: sed substantia Angeli est obiectum actu intelligibile, & intime præsens intellectui proprio, Ergo intellectus Angelicus non indiget specie quæ suppleat vicem substantiæ, sed ipsamet substantia potest ad sui intellectionem concurrere cum intellectu. Ratio hæc est, quia ideo dantur species ut I. faciant obiectum intelligibile actu, I. ut uniat obiectum cum potentia. Ergo si obiectum sit actu intelligibile & unitum intellectui non opus habet specie, diversa tamen maxime ratio est in cognitione Angelica respectu aliarum rerum, sane quando intelligentiæ intelligunt res extra se longe possitas, ens non tam per suam substantiam quam per species intelligibiles cognoscunt, necessum enim est ut id quod cognoscitur ob intellectu sit in intellectu, cumq; eo uniat: At distantia, absunt secundum substantiam suam. Ergo necessum est, ut

est, ut idea ipsorum sit in intellectu quæ representet & quasi effigiet illas res in intellectu, prout sunt in se extra, & ita idealiter & per species sistat res quasi presentes, ut possint ab intellectu intelligentiarum percipi. Ex quibus manifeste constat & Angelos specie intelligibili carere non posse, sed ipsis quoq; maxime necessaria est. eaq; eos uti quam sapissime quemadmodum in disp. de specie intelligibili peculiari quaestione aliquando docuimus, quare etiam de altero intelligendi principio intellectio Angelicæ s. de specie ipsa intelligibili plura dicere hic super sedebimus. Si unice brevibus adhuc dixerimus de modo, qua ratione uti soleant iis ipsis specibus intelligibilibus, & unde ad Angeli intellectum transferuntur.

VIII. In hac controversia ad diversas scholastici abeunt partes. Sunt enim nonnulli qui docent species objectorum naturalium ori naturaliter ab ipsa substantia Angeli, sicuti oriuntur passiones, n. p. potentia intellectiva ac volitiva, ut angelus qui cognoscit itus sit in actu primo, eo ipso potentiam habet intelligendi objecta, sibi proportionata & naturalia. Ita *capr. in. 1. dist. 3. q. 2. art. 2. Bannes. r. p. q. 55. art. 2. Valentia & alii.* Thomas Cajet. & sectatores Thomæ plurimi, censent Angelos nec accipere species à reb9, nec proinde in iis esse intellectū agentem, quo naturaliter possent eas à reb9 accipere, sed intelligere cætera à se distincta per species quas habent. con-naturales, innatas, à Deo q; infusas tantum. *Alexan. Alens. in. 2. part. q. 24. memb. 2. & 3. Scot. in. 23. & d. 9.* ajunt, Angelum quidem species materiales sumere ab ipsis objectis quorum sunt, ita ut intellectus agens conjunctus cum lapide, aut objecto quocunq; alio, producat speciem, non aliter ac intellectus hominis conjunctus cum phantasmate, speciem intelligibilem efficit, addit tamen de facto multas species Angelicas fuisse à Deo infusas.

IX. Ego si dicere debeam quod res est, & quid in hac parte senti-am, non possum non sententiæ postremæ favere, & cum B. Scharf. distinguere inter species Angelorum insitas & acquisitas. Acceperunt enim intelligentiæ à principio suæ Creationis per infusionem à Deo species, scientiamq; naturarum Communium & universalium ita ut per species innatas intelligant omnia naturalia, & necessaria quæ ex causis naturalibus fluunt, adeo q; physicis cognoscit Angel9 ex principiis & naturalibus, solem cras oriturum, hac l. illa die futu-  
B  
ram

ram Eclipsim solis, aut lunæ, quæ omnia ex causis cognoscunt naturalibus, melius atq; nos: Non vero ita se res habet in objectis singularibus, quando scilicet Angelus aliquid intelligere incipit, quod antea ignoravit, tunc omnino nova ipsi acquirenda species est, conjunctione nim. intellectus agentis cum materialibus objectis putat Scotus, & quidem recte, speciem intelligibilem in intellectum Angeli possibilem produci, ita ut efficienter concurrat intellectus agens & objectum ipsum materiale tanquam duæ partes unius integræ causæ, non secus ac in nobis intellectus agens & phantasma ut partes duæ, unius efficientis causæ ad productionem speciei intelligibilis concurrere solent. Sic v.g. cognoscunt Angeli Socratem existere, quoniam existit, eumq; non existere, quoniam non existit: Cognoscunt etiam has l. illas complexiones contingentes, ut Socratem sedere, ambulare, disputare &c. quoniam illa eveniunt, sed non per species infusas & imnatas, sed à rebus potius desumtas.

X. Quod tertium intellectiōnis principium attinet, nempe *Habitum* dicimus & hunc angelis denegari non posse. Si quidem in Angelo datur habitus moralis, misericordiæ, veracitatis, justitiæ & pietatis, supponimus tamen aliquando species vocari habitus secundum Thomam & doctrinam Aristotelis, quo sensu absq; dubio in intellectu Angelico tot dantur habitus naturales à principio infusi, quot species naturales congenitas à Deo datas habent. Deinde Communi sensu Philosophorum sumitur habitus pro qualitate distincta à specie impressa, quæ in intellectu existit, & est in duplici differentia, alias dicitur habitus disponens subjectum in ordine ad se, ut sanitas: alio in ordine ad operationem, prioris generis habitus in angelis non sunt, quia cum substantia intelligentia sit spiritualis, & incorruptibilis nullo indiget habitu dispositivo ad suum esse conservandum. Habitus ad operationem quoq; duplici esse in differentia constat, sunt n. alii supernaturales rerum & substantiarum, per se infusi, v.g. fidei divinæ, Theologiæ; alii naturales, & hi l. morales, l. intellectuales, quos omnes intelligentiis competere non aliter ac hominibus exempla docent: neq; n. essentia, Angelorum est, similis actus, secus atq; Scotistæ & Nominales statuunt, quod ab essentia non differant realiter, quippe mutabiliter sese habent, & defacto etiam in Angelis malis mutati sunt, cum in bono non persisterent, sed transgressa lege Dei omnis virtus à Di.

à Diabolo separata est ut amplius non possit non male agere, ut ut  
quoad essentialia nullam mutationem perpessus sit; accidentia con-  
sequenter erunt, quæ abesse l. adesse poterant, sine iuncti interitu  
physico, & sic qualitates a. v. habitus quos morales vel Ethicos com-  
muniter nominare solemus. Tandem & intellectuales habitus qui  
ad actus intelligendi iuvandos faciunt, cur Angelis denegentur, non  
video, quando quidem sapientes & scientes ita sunt, ut errare possint  
r. per modum habitus in iisdem qua de vid. Thom. l. 2. q. 50. art. 6. hinc  
recte B. Scharfius in Pnev. lib. 3. c. 4. ait *Scientiam rerum naturalium ex-  
actissimam habent Angeli, sapientia pollent longe perfectiore hominibus,  
Intellectus Angelorum per se inæst, ut errare possit adeo q. imperfecti-  
onē aliquam habet in intelligendo. Ergo, requiritur habitus, quibus illa fa-  
cultas intelligendi magis perficiatur & faciliterur, ut fiat promptior, ex-  
peditior, certior. Concludit tandem: Dicimus Ergo quod in Angelis sine  
habitu intelligendi, quibus intellectus eorum sit confirmatus ad bene  
prompte q. intelligendum, ne scil. facile aberrer.* Ex quibus omnibus  
habitus tam intellectuales, quam morales, ad cognitionem Angeli-  
cam facere, sufficienter demonstratum dedimus.

XI. Hactenus de principiis intellectiois Angelicæ egimus,  
jam quoq; de objecto verba facere necesse habemus, hoc est, de re-  
bus quas Angeli cognoscunt. Objectum vero intellectus Angelici o-  
mne Ens est Creatum & increatum, quia circa O. ens pt. intellectus  
Angeli versari, tanquam circa objectum cognitum, quod actu in re-  
rum natura existit, adeo q; ut adeo intelligibile non sit, quod intelle-  
ctus Angelicus non cognoscat; Cum v. *objectum* illud dr. quod in-  
tellectui obijcitur, & cognitioni *adequatū*, quod commensuratur vir-  
tute intellectus Potentis, sequitur O. ens ut sic, objectum adæquatū  
intellectus Angelici esse. Ut tn. res clarior existat, ostendemus per e-  
xempla in specialibus objectis, cognitionē hanc Angelicam ad o-  
mnia Entia actu existentia sese extendere, & quidem [1] Cognoscit  
Angelus Deum Naturaliter, non cognitione perfecta & per propriā  
atq; claram speciem, sed imperfecta tantum, h. e. abstractivè, Ange-  
lus n. clare & per propriam speciem se ipsum videns, & alios effectus  
creatos per illos, & ex illis & per species eorum cognoscit, Deumq;  
ipsum licet imperfecte h. e. se ipsum intuendo, velut in speculo, quū

fit imago & speculum quoddam, divinam similitudinem præse fe-  
rens, esse divinum contemplatur, dicent *D. Calov. t. 4. syst. p. 25.* Angeli  
n. intuentis se, cognoscunt se non habere esse à seipsis, sed ab alio, &  
ex nihilo, ad hoc vero requiri infinitam potentiam ac sapientiam, à  
qua emanarint, & in qua ipsi & cætera omnia virtute ac eminenter  
continentur, Immo vero talia ex cæteris quoq; rebus in  
hoc universo existentibus multo exactius & evidentius cognoscunt  
quam nos, eo quod longe excellentiorem vim habeant ad intelli-  
gendum multoq; melius quam nos penetrare naturas rerum possunt.  
Quare sicut à nobis invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, naturalis  
cognitione intellectus, conspiciuntur ut Paulait, ita etiã ab Angelis,  
exactius & melius tm. quam à nobis. Angeli vero sicut & nos, cogno-  
scunt quidẽ Deum quoad prædicata sibi propria, in quibus à rebus o-  
mnibus creatis distinguitur, quælia v. g. sunt esse substantiam infi-  
nitam potentiam pariter atq; sapientiam, actum purum, primam  
causam sempiternam, quia intellectus creatus assurgere potest, per  
ea quæ facta sunt, adhuc omnia cognoscenda, præsertim Angelicus  
ob sui maximam nobilitatem & excellentiam. Quamvis v. intellectu  
Angelicus hæc cuncta in creaturis atq; ex creaturis de Deo eviden-  
ter cognoscat. non tamen cognoscit quidditative Deum, quia non  
attingit illum ut est in se, modumq; divinæ substantiæ, cuius hæc o-  
mnia sunt prædicata propria, quod tamen ad cognitionem Dei quid-  
ditativam vel maxime necessarium est.

XII. (2) Quod Angelus seipsam ut & res materiales cognoscat su-  
per §. 6. observavimus, de modo etiam prolixius disseruimus, quod  
se scil. per suam substantiam, cætera v. creata mediantibus specibus  
intelligibilibus intelligant, fusius diximus, quare actum agere nola-  
mus; saltem in præsentia de eo despiciemus, quomodo unus Ange-  
lus alterum cognoscat, & dicimus unumquemq; Angelum non pos-  
se cognoscere cæteros per suam substantiam, licet n. ita sufficiens sit  
ut seipsum perfectissime cognoscat, atq; a deo cognoscendo prædi-  
cata omnia quæ in ipso includuntur essentialiter, cognoscat m. cæte-  
ros Angelos quoad prædicata, communia, non tm. sufficiunt hæc ad  
cognitionẽ quoad prædicata cuiusvis Angelo propria, quibus ab alte-  
ro distinguitur, quando quidem hæc, nec eminenter nec formaliter  
continentur in ipsius substantia, Ergo cognoscit unus Angelus alterũ  
per

per speciem, sive illa sit insita, & innata, aut v. ab objecto ad intellectum alterius Angeli translata, perinde nobis est.

XIII. Cognoscit (3) intelligentia futura contingens, non simpliciter, sed admissa certa distinctione inter contingens simpliciter tali a se libera; & ea, in quibus licet omnes causae necessario operentur, tamen una potest ab alia impediri v.g. qn. dico, sol cras tantam lucem producet in aere, ex causis naturalibus verum est, contingit tñ. ut impediatur defacto, quia alia causa naturalis intercedit, & interponit lunam inter solem & aerem, quae interpositio contingens est respectu solis, licet sit necessaria respectu lunae. Contingentia v. simpliciter talia atq; mere libera, intelligentiae cognoscere non possunt, dependent n. à libero arbitrio humano l. Angelico, quia mediū quod de se est indifferens ad duo extrema, non potest ut sic indifferens esse ratio, cur determinate cognoscatur unum extremum & non aliud, sed quotiescunq; est futurum contingens & liberum, causa eius est indifferens ad efficiendum l. non effectum talem. Ergo ex cognitione talis causae indifferentis non potest certa colligi futuritio talis l. talis effectus. Conjecturis tñ. spectata complexione uniuscuiusq; harum causarum, si corporae sint, spectatisq; aliis circumstantiis concurrentibus, conijcere possunt intelligentiae, quod probabilius sit eventurum & hoc facile nemo negare poterit, partim ob ingens acumen intellectus Angelici, part. ob longissimam experientiam, quā longo tempore, quod in similibus eventibus ut plurimum evenire solet, sunt experti; ita quoq; scire non possunt Angeli supernaturalia nisi à Deo fuerint revalata, humanas Cogitationes, nisi extrinsecus sese exerant, quia Deus solus *καρδιογνώστης* est, & alia deniq; infinita sunt quorum Angeli notitiam habere non possunt, quia cognitio eorum certis limitibus circumscripta est. Etsi n. intellectus Angelorum humano perfectior est, finitus tñ. est, & quodvis peculiariter cognoscere opus habet, neq; m. omnia sciūt, aut simul cognoscunt, sed uti per experientiam & à posteriori per effectus & signa nonnulla indigant, ita discursu ad id opus habent, ut unū ex alio colligant, quod pluribus *Scotus, Gabriel Biel, Greg. Ariminens. contra Thom. ejusq; asseclas, jesu vit. Tolet. Spar. G. Taner. ostendit, Conf. Mag. Doct. Calov. Syst. t. 4. p. 26.*

B 3

XIV.

XIV. *Diversitas* Angelicæ intellectiōnis ex modo intelligendi di-  
verso apparet, qui fit l. per simplicē intuitionem quā necessaria o-  
mnia, vi naturali simpliciter introspiciunt, l. per discursivam intel-  
lectionem, colligendo ignota ex notis, obscura ex manifestis, quam-  
quam Angelicus Doctor, & cum hoc *Vsq. Disp. 221. Spretz. Lib. 2. de*  
*Ang. C. 12. Contra Scotum in 2. d. 7. q. 1.* aliud sentire videntur, & Ange-  
lis discursum prorsus denegare satagunt, propter plenitudinem lu-  
minis intellectualis, vimque maximam quam habent ad intelligen-  
dum, per quam statim in principiis, & causis [ ut ajunt ] cognoscere  
possunt cuiusq; rei veritatem & effectum, ut uno eodemq; intuitu  
quo principia & causas cognoscunt, effectus simul in eis inclusos  
provideant. Verum enim vero contrarium veritati videtur magis  
esse congruum, ex absurdis infinitis quæ inde sequuntur. Si  
enim Angelus non discurreret, cognosceret omnia simpliciter con-  
tingentia & libera, quia hæc in causis habet tanquam præsentissima  
imo & cogitationes hominum sic indagare posset, omnes Eclipses  
solis futuras per totam æternitatem, nisi cursus cœli cesaret, quæ  
sine dubio forent infinitæ, Ergo haberet notitias infinitas, aut unam  
quæ infinitis æquipolleret quod absurdissimorum absurdum est:  
deinde quæro ex Advertariis qualis illa cognitio fuit dæmonum  
quando ex effectibus supernaturalibus, ut ex Resurrectione Lazari,  
coniciebant Christum esse verum Deum? certe alia esse non potest,  
quam discursiva; nihil dicam de eo quod propugnatores Thomæ,  
ut *Ludov. Molin. Comment. in Thom. q. 58. fol. 600.* ipsimet fateantur  
probabilius esse Angelos posse per accidens discurrere, Jam discursus  
per accidens, etiam verus discursus est, quemadmodum causa  
per accidens vera dici debet & solet causa. Ergo etiam cognitio-  
nem discursivam verè intelligentiis competere, necesse est, ut sta-  
tuamus, luminis enim illa plenitudo, visq; maxima qua pollent in-  
telligentiæ, quamq; habere eos ait Thomas, non impedit discursum  
Angelicum cum plena & magna dicatur vis illa luminis in respectu  
ad nostram, non vero ad Dei cognitionem, hoc respectu enim satis  
imperfecta, semiq; plena recte asseritur. Et tantum de intellectu-  
ne Angelica, seu de prima hac operatione intelligentiarum inter-  
na in



na, in hac sectione dictum esto, nunc ad alteram atq; tertiam, ad volitionem nempe atq; ad motionem intelligentiarum!

XV. Voluntas sequitur intellectum, qui omnia considerat & speculatur, ut quod fuerit bonum per voluntatē ametur, & quod malum per eandem avertatur. Posito r. intellectu in natura Angelica, ponamus necesse est, & voluntatē, quæ erit potentia realiter distincta & à substantia Angeli, & ab ejus intellectu, quemadmodū volitio actus est ab hac potentia elicitō, quo intelligentiæ bona appetunt & mala fugiunt. Objectū voluntatis Angelicæ omne bonū atq; malū est, sicut n. intellectus quilibet versatur circa O. veritatē & falsitatem, circa illam, per assensum, circa hanc, per dissensum: ita qualibet voluntas circa bonum per affectum, circa malum per fugum & aversionem. Quia v. O. bonum per se est amabile, quale bonum est honestum, delectabile aut v. m. utile, objectum quoq; voluntatis erit bonum commune abstrahens ab his, s. hæc sint bona naturalia, s. supernaturalia l. spiritualia, habent enim & Angeli actus voluntatis humanæ l. concupiscibiles, l. irascibiles, diverso tamen ab hominibus modo atq; respectu, licet enim hæc potentia, eorumq; actus in Angelis secundum materiale non sunt, quod connotent passiones sensibiles, commotionem cordis ac carnis, quam nunquam habuerunt, ut propriam, tamen secundum formale, ut vocant, h. e. vere & proprie sunt in Angelis, sicut & in anima rationali fieri solet.

*Modus volendi Angelicus, alius naturalis & necessarius est, ut voluntas ad suipsum esse, vocatur talis, non ideo, quasi vero daretur in intelligentiis actus aliquis necessarius quæ Scholastici motum primo primum vocare solent in voluntate, & in hominibus alias oriri solet, ex surreptione & inconsideratione, intelligentiæ enim sensum & phantasiā non habent, cum facultates hæc animæ sensitivæ sint, & ad corpora propriè restricta, ideoq; m. ab his præveniri & excitari involuntariè ad Objectum aliquod minime possunt; sed necessarius dr. quod non possint non existentiam sui appetere. Alius spontaneus atq; liber, cum enim voluntas non necessitetur quo ad actum & exercitium, nisi à maxime bono, ostenditur eo ipso, voluntatem Angelicam esse liberam. Quemadmodum quoq; voluntas ac liberum arbitrium in homine quoq; sunt, pertinentq; ad maximam*

animam ejus dignitatem & perfectionem, quid vetat igitur ut Intelligentiis idem denegare velimus. Falsi v. Thomistæ sunt, qui contendunt, quod semel deliberato intelligentia elegit, id immutabiliter semper vult & appetit, quia non est immutabilis, aut tantæ perfectionis, ut nihil aliter velle possit, quod semel deliberato elegit, ceu uberius idem probant Scotistæ, quos sequitur quoq; incomparabilis Academia nostræ Philosophus juxtimatq; Theologus Dn. D. Calovius Syst. t. 4. p. 26. Porro libera est voluntas Angelica tum ratione actum immanentium volitionis scil. aut nolitionis hujus l. illius, tum ratione diversorum effectuum externorum, dum modo hoc modo aliud intelligentia facit libere.

XVI. Ad ultimum, ad *motiorem Angelicam* l. ad variationem ubi qn. accedimus, Analogicam eam tantum esse dicimus, quæ Angeli sese ab ubi ad aliud convertunt; variare quidem possunt ubi, ut modo hic, modo alibi sint, motio tamen ideo Physica non est, sed Analogica, quæ sine successione in instanti peragi possit, non secus atq; lumen per aerem transire solet, docente Scharfio nostro, lib. 3. Pneum. cap. 4. Est enim in Angelo virtus quædam & potentia realiter distincta à substantia ejus, à voluntate & intellectu, qua producit in se ubi, & præsentiam in spatio & loco, quo voluerit, ut ita moveri possit ab uno ubi ad aliud. Quemadmodum enim quodvis animal vivens potentiam habet, quâ se moveat localiter mediatè impetu, membris corporeis impresso, eodem quoque modo Intelligentia potest in se producere suam illam præsentiam definitivam, modo hanc, modo aliam, per motum velotiozem aut tardiozem, ut voluerit, & apud sese deliberaverit. Ineptiunt vero Durandus, Hervæus quando in Angelo negant potentiam movendi à voluntate distinctam, sed potius sola voluntate se, aliâq; movere credunt. Hi etiam negant motum verum in Angelis, & dicunt externa tantum denominatione sese movere, quas Thomas Connibricenses, Spretz. prolixius refutant, cum n. Angelus à corpore recedit eo ipso sese movet, modo n. hic, modo alibi adest. Non tamen ideo loco circumscribitur uti perperam Goclenius & Timplerus, ut & Hervæus putant, talis n. circumscriptio corporibus naturalibus propria est: sed potius incerto spatio est, per designationem l. definitive cum ita sibi designans aliquod spacium, ibi, non in aliis spatiis, nedum ubiq; est.

SEC.

## SECTIO EROTEMATICA.

Q. I.

*An in Intelligentiis dentur species intelligibiles ad intellectio-  
nem necessariae?*

Ocbam in 2. q. 17. & 18. & Gabriel eod. in loc. dist. 3. q. 2. Oviedo in curs.  
Phil. lib. de anim. cont. 17. censent non concedendas esse species aut  
aliquid, quod cum potentia cognoscente sit conjunctum, in mo-  
dumq; speciei cum ea, ad cognitionem producendam concurrat,  
quod similes species, nec in hominibus, ne dicam in Angelis neces-  
sariae sint, sed sufficere ad efficiendam intellectioem in hominibus  
notitiam sensus interni, seu phantasma, una cum intellectu possibili  
absq; aliqua specie intelligibili: In Angelis vero praesentiam objecti  
constituti in distantia accomodata, una cum intellectu Angelico,  
sine ulla specie aut qualitate intermedia, sufficere, ut intuitivam ob-  
jecti notitiam efformet, concurrente efficienter cum Objecto quam  
Intellectu. Huic sententiae favet quoq; Henricus quod 5. q. 14. aliique  
quos Scot. 1. dist. 3. q. 4. Capreol. in 2. dist. 3. q. 2. apud Lud. Molin. Theol.  
Schol. q. 46. disp. univ. allegare videtur. Necessarium r. cosequenter  
non erit constituere in Angelo speciem aut a re by acceptam, ut Sco-  
tus autumat aut verò, Angelis innatam, à Deo q; infusam ceu Thom.  
aliiq; arbitrantur. Durand. in ead. est Sententia in. 2. dist. 3. q. 6.  
& in 4. dist. 49. q. 2. non tamen explicat an objectum concurrat  
cū potentia ad productionem notitiae tanquam causa efficiens, sed so-  
lum ait, potentiam praesente objecto, debiterq; approximato, illud  
absq; aliqua specie cognoscere, per hoc solum quod potentia sua-  
pte natura sit cognoscitiva, ut & objectum cognoscibile, neq; ullum  
adsit impedimentum quare non cognoscatur.

II. Affirmativa prob. (1) In genere, Argumento quod in disp. nostra de  
specie intel. §. 2 primum fuit: sicut se habet sensus ad suas operatio-  
nes, ita & intellectus ad suas effectiones: sed ille nullam pt. elicere  
sensationē absq; speciebus sensibilibus, quia objectum non ingre-  
ditur oculum, Ergo nec hic, absq; specie, intellectioem. (2) In spe-  
cie, quo ad Angelos, quia aliàs si Angeli omnia intuitionem cogno-  
scerent, non Angeli, sed Deus forent, plurima r. mediantibus spe-  
ciebus ad intellectum Angelicum transferuntur.

C

Q. II

*An Intelligentiis competat motus localis?*

Ex antiquis nonnulli extiterunt olim qui Angelos in loco aliquo Physico dicebant, & eo ipso enim quando Angelos corporeos dicebant locum Physicum ipsis assignarunt, cum locus affectio corporis sit. Imo vero ex recentioribus Johan. Commenius in Physica, si bene memini, Angelum per hominem alatum depingit. Durandus in lib. 1. sent. 37 q. 1. Socin. lib. 12. met. q. 6. Angelos immobiles dicunt, & sic hi, in defectu, uti illi in excessu peccant.

II. Nos dicimus, quia intelligentia est spiritus, eidem locum propriè sic dictam quoq; non competere, neq; tamen ideo Immobiles esse volumus. Quicquid vero in loco physico non est illud quoq; localiter moveri non potest, cum localis motio per successivum fieri solet, Angelica vero instantanea est. Hinc recte B. Mart. ait, *Intelligentiis competit motus, non mutando locum, sed motus, rei incorporea, in instanti.* Deinde, localis motio præsupponit quantitatem partium, Jam intelligentiis quantitas non competit, ob materiæ defectum.

**SECTIO PORISMATICA.**

*Axiom. I.*

*Operationes Intelligentiarum tempore non mensurantur.*

Spiritus enim sunt, qui tempus definitum non habent, à parte post, hoc est, ratione durationis finalis, sed persistent in æternum cum Deo glorioso; Ergo etiam eorundem operationes, tum internæ, quam externæ perpetuo permanentes erunt, nulloque commensurabuntur tempore.

*Ax. II.*

*Movetur Intelligentia ab uno ubi ad aliud*

Non motu subjective tali, hoc est Physico, ceu à Scholasticis explicatur, sed effective sumto, ut modò hic, modo alibi operationes suas exercent, modo suæ naturæ congruo & convenienti. Et tantum de Operationibus intelligentiarum internis, Externa, duabus sequentibus disputationibus præstringemus. Pro his

Nunc debitas.

**DEO AGIMUS GRATIAS.**

Ung. VI 37


ULB Halle  
003 913 872 3



Sl.

U 3 17





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.



NEVMATICA

27

# GENTI- ATIONIBUS

ES  
*Schott / Eper.*

l. Adjunct.

ENTE

TING, PIRN.

t. Saxon. Al.  
*Vittebergensi*  
1666.

*ilandam*

tit

or. *Matut.*

*Majori.*

RGÆ  
BORCKARDI.

*h. 15. 2381*

